

probrio, et iudicio conscientiae: verberamur etiam vocis nostrae verbere, cum loquimur ea, quorum sono caeditur animus noster, et mens consauciatur. Quis enim est, qui mundum cor a peccatorum habeat colluvione? aut non delinquat in lingua sua? Et ideo quia neminem videbat sanctum os servare posse ab immunditia sermonis, ipse sibi silentio legem imposuit innocentiae: ut tacendo culpam declinaret, quam vix effugere posset loquendo. Audiamus ergo cautionis magistrum: Dixi, custodiam vias meas¹⁾: hoc est, tacito cogitationis praecepto indixi mihi, ut custodirem vias meas. Aliae sunt viae, quas debemus sequi, aliae, quas custodire. Sequi vias Domini, custodire nostras, ne in culpam dirigant. Potes autem custodire, si non cito loquaris. Lex dicit: Audi, Israël, Dominum Deum tuum. Non dicit loquere, sed audi. Ideo Eva lapsa est, quia locuta est viro, quod non audierat a Domino Deo suo. Prima vox Dei dicit tibi: Audi. Si audias, custodis vias tuas: et si lapsus es, cito corrige. In quo enim corrigit juvenior viam suam, nisi in custodiendo verba Domini²⁾? Tace ergo prius, et audi, et non delinquas in lingua tua. Grave malum, ut aliquis ore suo condemnetur. Etenim si pro otioso verbo reddet unusquisque rationem: quanto magis pro verbo impuritatis et turpitudinis? Graviora sunt enim verba praecipitationis, quam otiosa. Ergo si pro otioso verbo ratio poscitur: quanto magis pro sermone impietatis poena exsolvitur?

TACITURNITATEM MODERANDAM ESSE, ET QUOD IN IRA

SILENDUM SIT.

Quid igitur? Mutos nos esse oportet? Minime. Est enim tempus tacendi, et est tempus loquendi. Deinde si pro otioso verbo reddimus rationem, videamus, ne reddamus et pro otioso silentio. Est enim magnum et negotiosum si-

1) Deut. 6. 2) Ps. 119.